

gere atque incoli universum globum , qui ubique sit vitalis 1501
aura particeps . Hac oratione apud reges habita petit ,
ut sibi liceat eorum opibus novas insulas , nova litora
quærere : spem se habere , non defore incœptis fortunam :
ditionemque ipsorum magnopere iri auctum , si rem suscep-
perint , confirmat . Ab regibus nova spe allectis sententia
Columbi , quam quidem totum septennium rejecerant ,
ad extremum comprobata , quam tamen multo antea Pos-
sidonii philosophi Panetii discipuli primum , deinde et-
iam Avicennæ medici fuisse video , magni & præclari vi-
ri , anno ab urbe condita millesimo septuagesimo primo ,
tribus cum navibus Columbus ad insulas Fortunatas , de
quibus superioribus libris sermonem habuimus , quas *Ca-*
narias appellant , profectus , atque ab iis tres & triginta
totos dies occidentem sequutus solem , sex numero insu-
las reperit ; quarum sunt duæ ingentis magnitudinis ; qui-
bus in insulis lusciniæ novembri mense canerent ; homi-
nes nudi , ingenio miti , lintribus ex uno ligno factis ute-
rentur . Frumentum hi habent , quod *maicem* appellant ,
multo , quam nos , spica & culmo grandioribus , arundi-
neisque foliis , & plurimo ac rotundo grano , quod spicæ
infixum membrana pro aristis vestitur , quam quidem ma-
turescens rejiciat . Animalium quadrupedum genera ha-
bent perpaucā : ex his canes pusillos , qui muti etiam sint ,
nec latrent : avium vero longe plurima , nostris tum gran-
diora , tum etiam minora , adeo ut aviculæ inveniantur ,
quæ singulæ suo cum nido vigesimamquartam unciæ par-
tem non exuperent : psitacorum magnam copiam , forma
& colore variam . Vellera sponte nascentia ex nemoribus
atque montibus colligunt : sed ea cum volunt candidiora
melioraque fieri , ipsi purgant , atque apud domos suas fe-
runt . Aurum , quod in fluminum arenis legunt , habent :
ferrum non habent : itaque præduris atque acutis lapidi-
bus , & ad lintres cavandos , & ad reliquam materiam
in usum domesticum formandam , aurumque molliendum ,
pro ferro utuntur . Sed aurum cultus tantummodo gratia
mollient , idque auribus & naribus perforatis pendulum
gerunt :